



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXXII. De Transubstantiatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

formæ eorum ratio ostendit. Ad 4. negando Minorem, cujus falsitas ex dictis constat. Addo, Gerhardum, cujus est hoc argumentum, explicare non posse, quando determinatè adfit corpus Christi; an in manu Prædicantis panem & vinum præbentis? an primum in ore communicantis? an in faucibus glutientis? an in stomacho? an denique in hisce omnibus simul? Singula horum non sunt comestio, ut patet; si in omnibus simul adfit, fieri id debet successivè, quomodo ferè embrio formatur in utero matris, quod est absurdum. Sequela tamen clara est; quippe ajunt, corpus Christi poni in Eucharistia, quando panis sumitur; at panis sumitur, quando in os ingeritur, deglutitur, & in stomachum demittitur. Cum ergo ista omnia non fiant nisi successivè, etiam Corpus Christi sic præsens ponetur. Videantur DD. Walenburch. Tom. 2. à fol. 352. ubi doctrinam Catholicam fusè contra Sectariorum nominatim contra Crocium Lutheranorum Patronum defendunt.

XLV. Ex dictis inferitur, usum seu ipsam sumptionem Eucharistiæ nec essentialem, nec etiam integram partem esse hujus Sacramenti. Nam Concilia & Theologi semper loquuntur de Hostia consecrata, ut de perfecto Sacramento. Unde Tridentinum Sess. 13. c. 3. dixit, *hoc sacramentum perfici ante usum*, ubi per Tò perfici haud dubiè indicat, Sacramentum esse in se perfectum, non integraliter imperfectum. Inquiunt Adversarij. Manducatio Eucharistiæ est signum sensibile conferens gratiam. Ergo est Sacramentum. Negatur rectè Antecedens à P. Sparza Q. 71. art. 1. & alijs. Manducatio enim non confert gratiam per modum Sacramenti & causæ, sed est mera conditio applicativa Sacramenti: nec gratia promittitur manducationi, sed Sacramento, supposità tamen debitâ hujus applicatione. Imò etiam si admitteremus, usum Eucharistiæ esse causam gratiæ, non statim inferretur, eum etiam esse Sacramentum, aut partem hujus; quia Sacramentum non constituitur in ratione talis per hoc, quod causet gratiam, sed per hoc, quod sit pignus gratiæ illius; posse autem aliquid esse causam gratiæ, & tamen non pignus, cui quâ tali ad Sacramentum constituendum Christus merita & gratiam suam alligavit, patet in operibus nostris, & bene advertit Arriaga D. 24. de Eucharist. n. 18. quem in definitione Sacramenti in Communi supra secuti fuimus.

CONTROVERS. LXXI.

DE TRANSUBSTANTIATIONE.

Magni momenti hæc est Controversia, cum à transubstantiatione dependeat veritas præsentia Christi in Eucharistia, & hæretici adeo ab eadem alieni sint, ut pro exemplo rerum apud Romano-Catholicos creditu difficillimarum adducant Transubstantiationem, Omnipotentiam DEI, quâ fidei mysteria nitantur, imbecillitati intellectus sui ineptè commensurantes.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **T**Ransubstantiationem Philosophi generaliter definiunt *conversionem unius substantia in alteram*. Pro cujus definitionis intellectu notandum, tria ad conversionem requiri. 1. ut id, quod convertitur, desinat esse, quod ante erat; & quidem si sit compositum, ut desinat esse compositum ipsum, quamvis aliquid ejus maneat, sicuti quanto aër convertitur in aquam, materia eadem remanet: & si id, quod convertitur, non solum sit compositum, sed ipsæ etiam partes ejus, tunc etiam hæc simpliciter debent desinere esse, uti fit in Eucharistia. 2. ut aliquid succedat in locum ejus, quod desinit esse. 3. ut sit connexio quædam & dependentia inter desitionem unius & successionem alterius, ita ut ex his duobus entibus positivi unum desinat, & alterum succedat, atque uti desitionis fiat successio. hoc notato.

II. *Doctrina prima.* Quando substantia panis & vini per verba consecrationis legitime prolata convertitur in corpus & sanguinem Christi, effectus non fiat mutatio formalis; quæ sit per formam subiecto advenientem, sit tamen conversio propriè dicta, licet miraculosa, & ab omnibus alijs distincta. Nam sic eam appellant non tantum omnes Theologi, sed etiam Patres & Concilia Florentinum & Tridentinum mox citanda, idque merito, cum adsint conditiones ad veram conversionem requisitæ, ut itidem patebit. Eam verò conversionem Eucharisticam esse miraculosam ac prorsus singularem, per se clarum est, cum nihil substantiæ panis & vini remaneat. Unde

III. *Doctrina secunda.* In eadem conversione Eucharistica post verba consecrationis à sacerdote prolata verè ponuntur Corpus & Sanguis Christi sub speciebus panis & vini: & vi hujus positionis desinunt esse substantia panis & vini sub prædictis speciebus, quæ solæ remanent, atque hinc illa ipsa conversio est vera Transubstantiatio. Est deinde apud omnes Catholicos ex Concilijs Lateranensi, Florentino & Tridentino, quod ultimum Sess. 13. can. 2. hæc habet. *Siqui dixerit, in S.S. Eucharistia Sacramento remanere substantiam panis & vini unâ cum corpore & sanguine Domini nostri JESU Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantia panis in corpus, & totius substantia vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellat, anathema sit.* Probat. 1. ex verbis Christi: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus:* Nam si adesset substantia panis & vini, tunc ista per pronomina Hoc & Hic demonstraretur, heretique falsus iste sensus: hic panis est corpus meum: hoc vinum est sanguis meus: etenim quando plures substantiæ sub iisdem accidentibus latent (uti hic panis & corpus Christi) illa demonstrari solet, cui propriè insunt accidentia sensibilia. Sed accidentia sensibilia hujus Sacramenti inessent panis & vino, si hæc adessent. Ergo demonstrarent verum panem & vinum; quemadmodum de hoc energumeno malè diceretur: hic est diabolus; licet enim diabolus in eo lateat, tamen

tamen accidentia humani corporis non sunt in demone, sed in homine. Probat 2. auctoritate Patrum, quos magno numero afferunt Card. Bellarmin. Lib. 3. de Eucharistia c. 2. & Bernardinus Wetweis fol. 668. in Specul. Ecclesiae. Sufficiat nobis Cyrillus Hierosolym. Catech. li. 3. Mystagogica: ubi ait: *Panis Eucharistia post Spiritus invocationem non amplius est panis, sed Corpus Christi.* Et Catech. 4. *hoc scias & pro certissimo habeas, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse Corpus Christi: & vinum, quod a nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse credatur, non tamen vinum; sed esse sanguinem Christi.* En absentiam substantiae panis, manente colore & sapore, ac proinde integram transubstantiationem! Ad modum Cyrilli scribit antiquus Author apud S. Cyprianum de cena Domini: *Panis iste, inquit, quem Dominus Discipulis porrigebat, non est figie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro.* S. Augustinus Serm. quem Beda citat. in c. 10. 1. Corinth. ait: *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, sit corpus Christi.* Hunc in modum praeter Bellarminum cit. producant Suarez, Valencia, Vasquez, Gualterius in erudita chronologia sua, Coecius alique per omnes ab Apostolis aetates ad Lutherum usque testimonia Patrum, in quibus Mutatio, Conversio, Transformatio exprimitur, & panis in Corpus Christi, & Vini in sanguinem conversio asseritur, quibus verbis Patres idem significant, quod Ecclesia Transubstantiationis nomine & claritatis causa appellat. Videri etiam potest Papatus Catholicus P. Kelleri, ubi Tom. 2. a fol. 555. clarissima Patrum testimonia pro transubstantiatione adducuntur. Addo Dominos a Walenburgh Tom. 2. a fol. 694. ubi sententia D. Cyrilli Hierosolymitani: atque ex hujus approbatione Bellarminus defenditur.

IV. Prob. 3. ratione. Quia omnia requisita ad veram conversionem hic reperiuntur. Nam adest desitio unius & positio alterius: oritur desitio termini a quo ex positione termini ad quem remanet aliquid commune utriusque termino, in ordine ad quod uterque terminus repugnat: uterque terminus est realis & positivus, cui ex prior conditione non deest munus commune; quippe praecedit substantia panis & vini: deinde supervenit Corpus & Sanguis Christi, quae repugnant substantiae panis & vini; quia accidentia istorum avellunt, & sibi appropriant; quibus substantia panis & vini desituta interit: denique remanent accidentia sensibilia panis & vini, quae Christus certo modo inferius explicando sibi agglutinat. Probat denique 4. ex consensu Ecclesiae, quae omnibus retro saeculis docuit, consecratione Naturam ipsam mutari: Sermonem Christi species mutare elementorum: non minus esse, dare naturas novas, quam mutare naturam. Audiamus D. Ambrosium Lib. de ijs, quae iniriuntur mysterijs cap. 9. *Probemus, inquit, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis, quam naturae; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens &c.* Et paulo post. *Quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba Domini Salvatoris ipsa operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliae, ut ignem de caelo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: quia ipse*

dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? non enim minus est, novas naturas rebus dare, quam mutare naturas. Haec Ambrosius, cujus clarissimam de transubstantiatione Eucharistica doctrinam nullus unquam ex tota Antiquitate erroris arguit, aut refellit. Ergo jam ante 1200. annos pro vera Catholica doctrina fuit agnita. Diversae etiam definitiones Conciliorum ab annis quingentis videri possunt apud Cardinalem Bellarminum loc. cit. cap. 21. Ab Ecclesia Latina quoad istud punctum nunquam dissentisse Ecclesiam Graecam, ostendunt aperte DD. a Walenburgh Tom. 2. cit. a fol. 29. contra Sectarios, qui oppositam suam opinionem imperitis Ecclesiae Graecae conformem esse dolose persuadere laborant. Quomodo autem fieri potest, ut Ecclesia universa tam Latina quam Graeca tot saeculis in gravissimo errore versata fuerit: & non potius decipiantur, qui in eam temere insurgunt haeretici?

V. Dicunt Sectarij, Recte dicere possumus: hic homo est Deus: & Deus est hic homo, licet nec Deus in hominem, nec homo in DEUM convertatur. Ergo etiam panis & corpus Christi possunt de se invicem praedicari. Respon. Concesso antecedente, negando consequentiam. Nam licet verè DEUS de homine & vicissim praedicetur, id tamen non fit vi transubstantiationis alicujus, qualis nulla hic intervenit, sed propter unionem hypostaticam, qua Persona Verbi cum humana natura unitur. Urgent. etiam hic intercedere aliquam unionem Sacramentalem inter panem & corpus, ratione cujus potest unum de altero praedicari, & haec propositio (panis Sacramentaliter est corpus Christi) verificari potest. Resp. To Sacramentaliter vel significare, panem esse figuratè Corpus Christi, vel verè ac proprie; non 1. ne Lutherani (quorum est hoc argumentum) incidant in Calvinismum: non 2. quia licet corpus ibi praesens fieret per modum simplicis commutationis cum pane, inde tamen non efficeretur, ut corpus Christi realiter de pane praedicaretur, siquidem anima praedicari nequit de corpore; quantumvis huic uniatur. Instant, quando marsupium pecunijs plenum ostendo, verè dico: hoc est pecunia. Ergo etiam, quando demonstro panem, in quo est corpus Christi, dici verè potest: hoc est corpus Christi. Resp. negando paritatem. Tum quia corpus non est in pane, sicuti in marsupio pecunia. Tum quia locutio illa, quando ostendo marsupium dicendo: hoc est pecunia, est tantum tropica & moralis, qualis non est ista: hoc est corpus meum. Inferunt. Si necessaria sit Transubstantiatio, ut haec propositio sit vera: Hoc est corpus meum, ne videlicet per particulam Hoc demonstretur substantia panis, fieri etiam debuit transaccidentatio, ne scilicet per particulam Hoc demonstrarentur accidentia, ac sensus sit: hoc album est corpus meum. Sed hoc non fit. Ergo nec illud. Resp. negando illationem; quia demonstrata re aliquà pronomen Hoc nunquam supponitur pro accidente, sed substantia, nisi accidens expresse determinetur.

VI. Doctrina tertia. In hac Transubstantiatione sunt multa singularia, quae in naturalibus conversionibus non reperiuntur, quam idcirco supra diximus miraculosam. Explicatur. *Primo* in alijs conversionibus compositi destructi remanet materia

tertia prima, & in eam nova forma substantialis introducitur, sicque fit novum compositum v. g. quando Christus in Cana Galileæ aquam in vinum convertit, forma quidem substantialis aquæ perijt, sed ejus materia remansit, & in eam est introducta forma vini. In Eucharistia verò tota substantia panis & vini perijt etiam quoad materiam solis accidentibus relictis, ut docet Tridentinum loc. cit. Causa illius destructiva est subtractio omnium accidentium, sine quibus foret profus inutilis; DEUS enim & creatura nihil agunt frustra, & quando in eum statum devenit, ut amplius non sit usui, DEUS quasi subtractâ manu conservatrice sinit eam perire. Sicut ergo Formæ substantiales ad operandum destinatae (etenim juxta Philosophos esse est propter operari) quando sunt inutiles ad operandum amissis aut debilitatis viribus, seu instrumentis intereunt, ita materia prima ad patiendum facta, ut formas substantiales sustineat, quando fit inutilis ad hanc sustentationem, desinit; fit autem inutilis amissâ quantitate; quippe redditur incapax omnium dispositionum quantitati inhærentium, & consequenter omnium formarum substantialium. At in Eucharistia amittit quantitatem, liquidè Christus hanc ab illa materia avellit, ideòque perit, & quidè ita, ut nec alibi in rerum natura permaneat, ut teste Arriaga Disp. 35. de Euch. n. 24. omnes fere Theologi supponunt; quæ enim ratio alia ipsi dandi accidentia? Quæstio autem nominis est, an hæc desitio possit & debeat annihilatio dici? Probabilior opinio negat, veram esse annihilationem; non quod hæc desitio propriè dicta corruptio sit (cum nihil substantiale utriusque commune remaneat) sed quia substantia panis non ita abit in nihilum, ut in ipso nihilo sistatur; etenim ejus desitio non tendit ad purum nihil, sed ad corpus Christi, in quod convertitur. Atque hic modus loquendi videtur conformior SS. Patribus, qui in hoc mysterio utuntur nominibus conversionis, mutationis, transmutationis &c. agendo de pane, qui desinit.

VII. *Secundò.* In alijs conversionibus intervenit contrarietas dispositionum, & dum novæ dispositiones pro forma nova à causa potentiori in materiam introducuntur, cedere debent antiquæ dispositiones contrariæ debiliores, ipsique sublatis forma interit, v. g. quando lignum comburitur, introducitur in materiam ligni calor pellens naturalem crassitiem ac duritiem, ideo forma ligni suis privata qualitatibus concidit. At in Eucharistia non apparet talis contrarietas; cum enim Christus suas naturales dispositiones cum propria materia sui corporis afferat, non est opus, alias dispositiones ex alia materia pellere, cum bene possint consistere qualitates contrariæ in subjectis ac materijs diversis. Unde repugnantia seu contrarietas inter Christum & Panem ac Vinum potius est moralis, quam physica, scil. inter infallibilem Christi veritatem, quæ manifestè violaretur, si panis ac vinum præsentia manerent; etenim supra illa caderent demonstrationes, & verba Christi dicentis: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, fierent falsa, quod est impossibile. Debent igitur cedere divinæ Veritati, & perire juxta dictum Christi Matth. 24. v. 35. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, id est, potius cælum & terra deberent perire, quam ve-

ritas eorum verborum, quânto magis panis & Vinum?

VIII. *Tertiò.* In alijs conversionibus Accidentia ex priori supposito residua remanent in suo pristino subjecto, scil. materia prima, cui quantitas immediatè, & hæc mediante cætera inhærent. Hic verò in reliquis quidem accidentibus Eucharistia nullum fit miraculum; quia retinent suum naturale subjectum, cui immediatè inhærent, scil. quantitatem: hæc autem sola miraculosè sine omni subjecto conservatur, prout necessarium est ad veritatem verborum Christi. Nam si quantitas maneret in pristina materia panis & vini, ista demonstraretur, non Christus; sicut quando Corpus Christi penetrativè erat in lapide sepulchrali, siquis tunc lapidem digito monstrasset, verè dicere non poterat, hoc est Corpus Christi, sed tantum, hoc est lapis, quia, ut diximus, accidentia, quæ apparent, solum demonstrant substantiam, cui illa adhærent, non verò eam, quæ sub ipsâ invisibiliter latet.

IX. *Quartò.* Ad conversionem satis non est, aliam rem destruere, & ejus locum occupare, sed oportet etiam succedere in officio vel relictam materiam informando, vel ejus accidentia assumendo v. g. cum ex aqua fit vinum, in vino remanet fluidas aquæ; & inde fit vinum fluidum. Cum igitur Christus in Eucharistia non assumat accidentia, nec ab illis informetur aut denominetur rotundus, candidus, fluidus, sapidus &c. alio id modo præstat, in unione scil. quâdam inter corpus & species; quæ unio ex probabiliore sententia Suarez Disp. 47. Sect. 8. Cardinal. Lugo D. 6. de Eucharist. n. 19. & aliorum Theologorum est effectiva, & consistit in primis in actione creativa, quâ Corpus Christi elevatum sustentet accidentia, suppleto concursu & sustentationem panis, non quidem in genere causæ materialis, sed efficientis; cum enim ad substantiam tantquam primam radicem sustentationis pertineat, sustentare accidentia, censetur Christus seu corpus Christi succedere substantiæ panis in eodem munere, si accidentia panis saltem efficienter sustententur. Quia verò sustentatio in genere causæ Efficientis (secus est in genere causæ materialis) non necessariò importat penetrationem seu intimam cum accidentibus præsentiam (quod tamen requiritur ad hoc, ut corpus Christi dicatur sub illis accidentibus contineri, & per illa demonstrari) ideo addunt insuper citati Theologi, ad hanc unionem requiri, ut corpus Christi intimè sit accidentibus præsens, perinde ac si ista naturaliter sustentaret, adeòque admittunt etiam quandam inter species & corpus Christi alligationem, vi cujus motis speciebus consequenter etiam moveri debeat corpus Christi tam bene, quam si hæc duo physicè inter se unirentur. Difficile tamen explicatu est, in quo hæc alligatio consistat. Probabilissimum mihi videtur, accidentia absque alia superaddita qualitate ita conservari à corpore Christi, ut hæc Actio inseparabiliter intimam corporis Christi præsentiam sub speciebus exigat, respiciatque decretum DEI, quo statuit, Christum elevare ad conservanda accidentia, & simul ad continuam præsentiam ejusdem sub istis, ut proinde Christus motis speciebus per impulsu soli quantitati impressum cum illis absque alia sua immutatione etiam ipse moveatur.

tur. Hinc inferitur, omnes denominationes, quæ præcisè innuunt ordinem ad locum v. g. moveri, quiescere propriè dici de Christo: non autem stare, sedere; quia ad hoc partes extrâ partes habere deberet. Plura de hoc Scholastici.

X. *Doctrina quarta.* Quomodo Christus per consecrationem esse incipiat in hoc Sacramento; Ecclesia nihil definit, sed reliquit Theologis exdisputandum, qui inter se non conveniunt. Valentia, Bellarminus, Vasquez, Turrianus, Lugo, Disp. 7. de Euch. n. 21. Dicastillo D. 4. n. 118. Pallavicinus Lib. 6. n. 262. & alij volunt, adduci solum Christum, non eo sensu, quasi motu locali de cælo per medium aërem in altare devolvatur, sed quod repente præsens fiat, ubi antea non fuerat, ac si de cælo descendiſset. At verbò P. Suarez Disp. 50. de Eucharist. Sect. 4. Coninek ad Quæst. 74. art. 4. dub. 5. Tanner Quæst. 4. dub. 5. Arriaga D. 1. de Generat. n. 17. Et de Eucharist. D. 34. n. 4. Et rursus Disp. 35. à num. 17. & plures apud hos citati docent, Christum per verbâ consecrationis substantialiter produci, sicuti in utero à Spiritu Sancto productus fuit, ita ut si ante non fuisset, vel esset, in Eucharistia de novo inciperet esse; quia verò jam ante fuit, ac est, dicitur potius conservari, quam produci. Hæc posterior sententia mihi semper viſa est probabilior. Tum autoritate Patrum, qui ajunt ex panè corpus Christi in hoc Sacramento fieri, confici, creari &c. Verba eorum formalia & ad longum afferunt, citati Theologi. Sufficiat modò S. Cyprianus serm. de cœna Domini ajens: *usque hodie verissimum & sanctissimum Corpus suum creat.* Quid clarius pro doctrina nostra dici potest? Sanctis Patribus consentit S. Thomas Q. 65. art. 8. comparans creationem Eucharisticam cum creatione absolute, & solum reperit hoc discrimen, quod in creatione nihil prorsus supponatur, in Eucharistia autem supponatur accidentia. Ergo sentit, ibi verè produci corpus Christi, & non præcisè ubicationem illius. Tum quia per hanc causalitatem substantialem optinè explicatur, quo pacto illa conversio sit substantialis, veraque Transubstantiatio, adjunctâ etiam Christi præsentia sub speciebus, & alligatioe ad illas. Tum quia modus iste ponendi Christum per substantialem productionem est nobilior, quam per productionem solius præsentia seu ubicationis; siquidem & hanc præsentiam dicit, & aliquid amplius; debemus autem, si commode possumus, dicere, miracula à DEO fieri modo quam decentissimo. Tum quia etiam verba Christi expressè non dicant hanc reproductionem, Patres tamen videntur eam insinuasse. juxta quorum doctrinam Ecclesia illam productionem intellexit. Patrum autem testimonia adeo clara sunt, ut P. Joannes Præpositus in 3. Part. Q. 75. ars. 2. cum aliqua expendisset, in hæc verba concludat: *Certe si quis nullâ sit sententiâ præoccupatus, advertatque, id divina Potentia non esse impossibile, ex his & similibus Patrum locutionibus colliget, Corpus Christi per consecrationem produci, & non solum adduci, ut prioris sententiæ Authores volunt.*

XI. *Doctrina quinta.* Speciebus Eucharisticis ita corruptis, ut substantiæ panis & vini conservandæ non sufficerent, Christus, qui ejus vices subivit, definit adesse. Ita communiter Catholici. Definit autem Christus non discedens motu loca-

li, sed cessans esse Sacramentaliter præsens, sicut anima rationalis resectû brachium cessat informare, nõ tamen localiter discedit, nec interit, quippe immortalis, sed amittit locum, præsentiam, & unionem cum brachio, ita Christus deserit species corruptas, uti supponit Ecclesia, quæ tales species non amplius veneratur, sed comburit. Christi verò deserentis loco accidentia ingrediuntur alia substantia novis dispositionibus congrua v. g. sanguis, pituita &c. quæ cum materiâ indigeat, DEUS miraculosè creat novam materiam, vel quod probabilius est, reprodúcit veterem. Ex his omnibus apparet, hoc Sacramentum esse miraculum, cui nihil in mundo simile reperitur, rectèque de illo dici, quod habetur Psal. 110. v. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, sciant dedit timentibus se.* Ad quod cum non advertant animus hæretici, adeo graviter aberrant, ut jam patebit.

PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETICORUM.

XII. *Error primus.* In Eucharistia non fit transubstantiatio, hoc est, nec panis transubstantiatur in Corpus Christi: nec vinum in sanguinem. Ita hæretici, tam Calviniani apud Amesium Tom. 3. à fol. 128. quam Lutherani apud Gerhardum Lib. 2. P. 2. à fol. 975. qui omnes multis quidem Catholicam doctrinam cavillantur, pauca verò contra illam etiam majoris ponderis afferunt argumenta. 1. est ex illo D. Pauli. Cor. 10. v. 16. & 17. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Domini est.* Ex quo sic argumentantur. Si panis participatio Corporis est. Ergo panis debet manere; aliàs non posset esse participatio corporis, quod enim non est amplius, non potest esse participatio alicujus existentis. 2. ex eod. Apostolo 1. Cor. 11. ubi agens de pane primò quidem v. 24. panem verum naturalem intelligit. Ergo etiam deinde v. 27. quando dicit: quotiescunque manducabitis panem hunc, Ergo manet in Eucharistia panis. 3. Transubstantiatio nullum habet fundamentum solidum, sed est recens aliquod inventum ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi ann. 1215. excogitatum, ut rotundè profitetur Joannes Duns Scotus in 4. Sentent. Dist. 11. q. 3. num. 3. & sequentibus. Unde Patres antiquiores præsertim Gelasius Papa, Chrysostomus, & Theodoretus ajunt, post consecrationem manere panem & vinum. 4. Quod à Christo fuit benedictum, non fuit destructum, sed potius multiplicatum, ut constat ex multiplicatione panum Luc. 9. v. 16. Joan. 16. v. 11. Sed panis & vinum ante consecrationem fuerunt benedicta à Christo Matth. 26. v. 26. Ergo non fuerunt destructa. 5. Quod in Eucharistia sub speciebus panis & vini mutationes recipit ex qualibet occasione, hoc est, alteratur, corrumpitur, à muribus devoratur, comburi potest, & in cineres verti &c. illud non interit, sed manet. Sed substantia panis & vini prædictas mutationes recipit, siquidem ista corpori Christi non conveniunt. Ergo substantia panis non interit, sed manet. Ergo non fit Transubstantiatio.

6. Si panis non adfit in Eucharistia, falluntur sensus nostri, & falsi aliquid in Sacramento veritatis inest. 7. Si propter hæc verba Christi: *Hoc est Corpus meum*, deberet corrumpi panis & converti in corpus Christi, tunc propter similia verba Christi ad Petrum Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.* debuisset Petrus corrumpi, & in lapidem converti, quod est ridiculum.

XIII. Scii ex Adversarijs aveo, num credant in primis illud Salvatoris primum miraculum in Nuptijs Canæ Galileæ patratum, quando substantia aquæ in substantiam vini divinâ virtute fuit conversa, de qua Joan. 2. deinde num credant conversionem illam itidem miraculosam, quâ fæminea caro uxoris Loth in statuum & substantiam salis versa est, teste Moysè Gen. 19? demum ommissis alijs num credant miraculosam illam ligni inanimati in animatum serpentem conversionem, quæ contigit divinâ virtute in virga lignea Aaronis ante Pharaonem Regem iussu DEI projecta, de qua Exodi 7? credunt utique, aut Fideles non sunt. Quomodo ergo negare possunt, fieri in Eucharistia conversionem panis in Corpus Christi: & vini in sanguinem ejusdem, ita ut nihil omnino remaneat de substantia panis & vini, sed ejus loco adfit caro & sanguis Christi? Nunquid æquè in illis conversionibus, ac in ista transit una substantia in aliam? Aut cur divinâ virtute fieri possunt illæ sive conversiones sive transubstantiationes, & non ista? Esto enim discrimen aliquod interveniat, hoc tamen non est tantum, ut omnipotentia DEI, *apud quem non est impossibile omne verbum* Luc. 1. v. 37. præjudicare valeat, uti testantur SS. Patres, qui miraculosas illas conversiones aquæ in vinum, ligni in Serpentem, carnis in Salem adducunt, & ex his transubstantiationem Eucharisticam persuadent, atque oppositam hæresin rejiciunt ac damnant. *Fideliter igitur*, inquit D. Augustinus apud Prosperum in sententijs, *fateamur, ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formavit: post consecrationem verò carnem Christi ac sanguinem, quod Benedictio DEI consecravit.* Quid autem hoc est aliud, ac dicere: credamus fideliter, in Sac. Eucharistia verissimam fieri Transubstantiationem substantiæ panis & vini in substantiam corporis ac sanguinis Christi?

XIV. Respon. ad 1. cum Scholasticis & Interpretibus Sac. Scripturæ communiter, Apostolum non agere hic de participatione panis & corporis, quasi panis triticeus sit participatio corporis, sed agit de participatione panis consecrati, quem frangimus, qui est Corporis Christi, quasi diceret: O Corinthij, quando participatis de Pane benedicto, nunquid participatis de corpore Domini? etenim Corinthios redarguebat, qui, cum sumpsissent Eucharistiam, etiam vorabant idolothyta. Atque hunc esse legitimum sensum, patet ex versu sequenti: *ut uno pane participamus*, hoc est, de Christi corpore, quod ubique est idem ac unum, non de pane triticeo, qui cum ubique sit diversus, dici non possent participare de uno, qui de illo participant. Ad 2. cum Tirino & alijs in cit. loc. minime absurdum esse, idem à Paulo variè accipi in eodem loco; cum cap. 10. v. 16. ait, *panis, quem frangimus*, loquitur de Eucharistico, ut omnes fatentur; & tamen ibidem v. 17. ait, *unus panis multi sumus*, ubi absque dubio, ut etiam fatentur omnes, panis pro Ecclesia sumitur. Nihil

igitur inde probatur. Cæterum quando Paulus Eucharistiam hic etiam post consecrationem vocat panem, facit more Hebræo, quo quisvis cibus vocatur panis; sicut in oratione Dominica petendo panem quotidianum intelligimus omnia generis alimenta. Insuper vocat Eucharistiam panem, quia in illa propter remanentes hujus speciei videtur adhuc esse panis, licet revera non sit amplius.

XV. Ad 3. quod transubstantiatio sit recens inventum, apertam esse calumniam, quam refellunt primitivæ Ecclesiæ testimonia, & imprimis liturgia D. Jacobi in Ecclesia Hierosolymitana, liturgia in Ecclesia Æthiopum, liturgia S. Petri, quæ primum usi sunt Romani Ignatius, Justinus, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius & alij, qui videri possunt citati apud Bellarminum Lib. 3. de Eucharistia cap. 3. Imò hæsis Calvini nova est, quæ initium habuit post octavo jam elapsa sæcula à Bertramo homine obscuro anno Domini 830. eoque represso renovata fuit à Berengario An. 1050. qui, ut diximus, à varijs Concilijs damnatus, sæpiusque relapsus tandem serio respuit. Nunc iterum illam in inferno jam sepultam resuscitavit Calvinus. Ex Patribus citatis nihil evincitur. Nam libri Gelasij & Chrysostomi, quos hæretici allegant, non sunt legitimi, sed supposititij, ut ostendit Vasquez 3. P. Disp. 180. Theodoretus quoque tantæ Autoritatis non est, qui aliquando favit Theodoro Mopsuesteno & Nestorio contra Cyrillum sanctum, attamen ante mortem respuit, & forsitan nomine naturæ tantum accidentia intellexit; in quem modum intelligi potest Gelasius Papa aut potius alius ejusdem nominis, non autoritatis. Videatur Laurentius Forer in Papatu antiquo L. 7. pun. 11. controvers. cap. 7. à fol. 246. Subtili Doctori Scoto magnam Neoterici faciunt iniuriam affirmando, illum retundè fateri, Transubstantiationem esse inventam ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi an. 1215. Disca Dist. II. q. 3. n. 13. hæc habet: *principaliter tenendum est de Sacramento, sicut tenet sancta Romana Ecclesia, sicut habetur. Extra. de hæreticis ad abolendum; nunc autem ipsa tenet, panem transubstantiari in corpus, & vinum in sanguinem, sicut manifestè habetur. Extra. Sum. Trinit. & Fid. Cathol. Firmiter credimus S. una verò, ubi dicitur: ipse Christus sacerdos est & sacrificium, cuius Corpus & sanguis in Sacramento Altaris veraciter continentur, transubstantiatis pane in Corpus, & vino in sanguinem potestate divinâ.* Ecce verba ipsius Scoti & Concilij Lateranensis; ex hoc enim ille exscripsit, ego ex ipso; unde manifestè apparet, Scotum cum omni reverentia suscipere Concilium, & formalibus hujus insistere verbis. Ubi ergo Scotus Concilium sugillat? ubi hinc Transubstantiationem tantquam novum inventum attribuit? ubi eandem transubstantiationem primis quinque sæculis fortunatoribus denegat, & post hæc excogitatâ affirmat? A nullo homine est inventa, ô Hæretici, sed à Christo divinitus per Omnipotentiam suam facta Transubstantiatio in Eucharistia institutione, cum dixit: *Hoc est Corpus meum*, ut unanimiter hæc verba intelligunt SS. Patres, è quibus Gregorius Nyssenus in orat. catech. c. 37. rectè, inquit, *verbo DEI sanctificatum panem in DEI Verbi corpus credimus immutari*, quod idem profus est ac transubstantiari. Urgent Sectarii, Scotum dicere, nullum locum scripturæ tam expressum extare, ut

sine Ecclesie definitionem, evidentem cogat admittere Transubstantiationem. Negat hoc melius S. Thomas 3. p. q. 75. art. 2. & plerique omnes alij Theologi; quia predicta Christi verba, *Hoc est Corpus meum*, in omni proprietate sermonis vera esse non possunt, si cum corpore Christi adfit substantia panis. Unde opinio Scoti & nonnullorum, quæ hæreticis favet, defendi hodie nullo modo potest, ut bene post Suarez, Vasquez & alios Tanner. Tom. 4. D. 5. Q. 4. n. 33.

XVI. Ad 4. talem destructionem panis & vini, qualis sit in hoc Sacramento, non repugnare benedictioni, quia multò præstantius est, rem vilem in meliorem mutari, quàm in se multiplicari. Dicit Amesius fol. 134. Panis cum sit materia ex qua, debet in Sacramento manere. Respon. Aquam in Cana Galilee fuisse materiam, ex qua fiebat vinum, nec illam mansisse; sicuti tamen hic aliquid mansit, ita & in Eucharistia manent Accidentia. Instat. Analogia debet esse in Sacramento inter rem terrenam & celestem, quæ in Eucharistia requirit, ut panis alatur, & ex multis granis constet. Ergo oportet, ut sit substantialis. Respon. Sufficere, ut naturaliter representet eam rem, quæ verè nutrit. Species columbæ & serpentis æreus habuere suam analogiam, & tamen non vera columba, non verus serpens fuerunt. Ad 5. Si mutatio sit sola alteratio, condensatio &c. tum non requirit materiam seu substantiam; omnia enim accidentia pro subjecto habere quantitatem, supra §. 8. diximus. Si verò sit corruptio specietum, ut in nutritione humana, combustione humana &c. tum requiritur quidem materia, sed ea substituitur à DEO in illo ipso instanti, quo desinunt esse illæ species, & in quo aliud generatur, atque hoc absque miraculo. Nam quando alteratio specierum eo pervenit, ut adsint dispositiones requisitæ ad aliquam formam introducendam, exigente rerum ordine, DEUS materiam substituit & probabiliter illam ipsam, quæ prius fuit annihilata, atque in illo ipso instanti ab agente naturali, mediante dispositionibus præmissis introducitur forma substantialis. Ad 6. nihil esse falsi in hoc Sacramento; quia accidentia illa significant naturaliter sub illa specie latere substantiam panis: in Eucharistia autem non naturaliter, sed supra ordinem naturæ sit, ut sub illis accidentibus desit substantia panis. Dicunt Sacramentarij Accidentia ista vel sunt in se, vel in alio? si in se. Ergo subsistunt: si in alio. Ergo inhærent. Ergo non deest substantia panis. Respon. esse in se, & non subsistere; quia sunt in se negativè, non positivè; ideo quippe dicuntur in se esse, quia non sunt in aliquo supposito, & tamen revera non subsistunt per actum positivum, qualis manat ex naturis substantialibus: Sic etiam accidentia dicuntur esse in alio, & non inhærente; quia sunt in alio Conser-vante effectivè, non in subjecto inhæsitivè, ut diximus §. X.

XVII. Ad 7. denique nomen Petri seu Petræ non sumptum fuisse propriè, sed allegoricè pro Fundamento. Infert Amesius Tom. 3. fol. 96. Ergo etiam in his verbis: *Hoc est Corpus meum*, Tò Corpus accipitur pro Pane. Nego illarum, siquidem hoc est contra sensum Orientalis & Occidentalis Ecclesie; nusquam enim in Sac. Scriptura corpus Christi sumitur pro ejus signo vel figura. Corpus, quod hic intelligitur, pro nobis

est datum; nunquid corpus tropicè acceptum pro nobis fuit datum? Instat Puritanus loc. cit. Cum Christus 1. Cor. 10. accipiat pro figura Christi v. 5. *Petra erat Christus*, quid prohibet, quin similis acceptio admittatur de corpore Christi? Respon. falsum esse, hic typicè solum, & non verè ac propriè Christum esse Petram. Non enim agit Apostolus de corporali petra seu saxea rupe deserti, quæ typicè significabat Christum, sed de Spirituali petra, quæ consequebatur Hebræos, & spiritualiter ac typicè per rupem illam significabatur. Hæc verò Petra Spirituality per alteram significata non erat typus seu figura Christi, sed erat ipsemet verus Christus. Ita D. Chrysostronus Ambrosius, Oecumenius, Anselmus apud Tirinum in cit. textum. Urgent Sacramentarij. In Synodo Nicæna II. Act. 6. Gregorius Neocæsariensis Episcopus dicit, Eucharistiam esse Imaginem Christi. Respon. Sirmandum in notis advertere; Gregorium Neocæsariensem id recitasse ex sententia Iconoclastarum, ut sanè res est. Patres enim in illo Concilio non minus hæresim, quàm hæc cæteras Iconomachorum damnarunt juxta hæc ipsorum verba: *Nullus aliquando turbatum Spiritus Sanctorum Apostolorum aut Illustrum Patrum nostrorum incrementum Sacrificium nostrum, quod est in commemoratione Christi DEI nostri, dixit Imaginem corporis ejus. Subditur deinde: Non dixit, accipite & comedite Imaginem corporis mei, sed manducate carnem meam, corpus meum, quod per Sacerdotem offertur in Sacrificium. Sententia Patrum aliquorum ipse Gregorius Episcopus ad stipulatus dixit: Acceptum patrem benedixit, & gratias agens fregit, & dans dixit: Accipite & comedite in remissionem peccatorum: Hoc est corpus meum. Similiter & calicem tradens dixit: Hic est sanguis meus. Demum concludens ait Gregorius: Eucharistia panem non ut falsam imaginem naturalis carnis per Spiritus Sancti adventum significandum divinum corpus fieri voluit mediante Sacerdote. Concedamus etiam nomen imaginis hic interferi, nihil inde infertur contra Catholicam nostram doctrinam. Nunquid Christus ipse DEI Filius etiam dicitur *Figura substantia ejus* Heb. 1. v. 3? an propterea Filius DEI naturalis ac verus esse desijt? Quare etiam si Patres interdum dicant in Eucharistia esse imaginem, figuram, & signum corporis Christi, non idcirco verum corpus Christi negant, quia nusquam affirmant solam meram & vacuum figuram, imaginem, signum adesse, quæ veritatem, seu ipsam corporis Christi præsentiam excludat, ut bene notat Becanus in Manuali Lib. 3. c. 6. n. 20. Ubi etiam à num. 31. ostendit, propriè dictum esse tum à Math. c. 26. v. 28. & Marco c. 14. v. 24. *Hic est sanguis meus novi Testamenti*, tum à S. Luc. c. 27. v. 20. & Paulo 1. Cor. 11. v. 25. *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*; nam illi nomen Testamenti sumunt pro voluntate & promissione Testatoris: isti vero pro instrumento illius promissionis. Unde sensus Matthæi & Marci est: *hic est sanguis novi Testamenti*; id est, hic est sanguis, quo sancitur voluntas, pactum, & promissio DEI. Sensus autem Lucæ & Pauli est: *hic calix sanguinis mei est novum Testamentum*; id est: hoc Sacramentum Eucharistie sub specie vini est authenticum instrumentum, quo applicatur nobis jus ad hæreditatem à DEO promissam. Ecce viam Tropistis Calvinianis ubi que obstructam ad rethnas suas & fraudulentas deceptiones. Videatur P. Simon Felix Præceptor meus*

meus in Theologia venerandus in Lib. cont. Jacob Reihing Apollatam Disp. 6. de Transubstant.

XVIII. *Error secundus.* Christus in Eucharistia nec per actionem adductivam nec productivam præseus esse potest. Ita iidem Sacramentarij, è quibus Amelius tomo 3. fol. 131. distinctionem hanc vocat *ineptissimum signum Scholasticorum.* Probant de actione productiva, quam supra §. X. asserimus. Tum quia esse Christi Sacramentale pendet à præsentia ejus naturali & quantitativa, quam in cælis habet; quomodo ergo actio ista ex se vim habere potest ad producendum Christi corpus, etiamsi alibi non existeret. Tum quia nulla actio pendere potest effectivè à suo termino; quod tamen fieret in proposito. Tum quia sic Christus, dum desinit in Sacramento, etiam in seipso substantiali quadam corruptione desineret, quod nec ipsi Pontificij volunt. Probant etiam de actione adductiva. Si per Transubstantiationem non producitur verè Corpus Christi, tum terminus ad quem non est substantia vel Corpus, sed accidens vel præsentia Christi. Ergo respectu termini ad quem hoc ipso non est Transubstantiatio.

XIX. *Error iste ex ipsa veritate præsentia Corporis Christi clare rejicitur.* Si enim in Eucharistia Corpus Christi sub speciebus panis verè ac realiter præsens est, vel per productionem vel adductionem præsens esse debet; alias sub ipsdem speciebus manebit panis, cum nihil adveniat, à quo ob impossibilitatem extrudatur; nec advenire aliquid possit nisi vel per productionem, vel per adductionem. Eidem adversantur SS. Patres; quomodo enim corpus Christi usque hodie in Eucharistia creatur, ex pane fit, efficitur &c. ut isti affirmant, si non vel producatur, vel adducatur? certè ab orbe condito nulla unquam res corporalis demonstrari alicubi potuit, nisi vel per productionem ibidem fuerit. Amelius ignorantiam suam nimis ostendit, quando ait, *conversionis vel conservativæ vel adductivæ, qualem Pontificij Doctores asserunt, nullum unquam exemplum à condito orbe vel naturale vel supernaturale fuisse, neque esse posse.* Nam quidquid jam fecerit tempore antiquo DEUS, cur in novo Testamento, in quo memoriam fecit mirabilium suorum, & escam dedit inveniendis se. Psal. 110. v. 4. cur, inquam, talem conversionem per actionem sive productivam, sive adductivam facere nequeat? certè probationes adductæ nihil prorsus evincunt.

XX. *Respon. ad 1. distinguendo;* pendet ab illo intrinsicè & subiectivè, negatur: extrinsicè & efficienter, conceditur, quod proposito nostro nihil obstat; quia hæc eadem actio esse posset Deo etiamsi juxta hujus ordinationem corpus Christi nullo modo præsupponeretur; quod si esset, utique actio illa DEI non careret suo formali & intrinsicè termino. Ad 2. iterum distinguendo; nulla actio pendere potest à suo termino quoad primam productionem, conceditur: quoad reproductionem seu conservationem, negatur. Nam licet nulla res possit dare sibi primum esse, potest tamen, postquam semel producta est, & esse primum aliunde accepit, seipsam denuo novà actione per modum instrumenti supernaturalis quodammodo reproducere, ita ut terminus illius actionis formaliter sit eadem res novo quodam modo à seipsa dependens; quia eo ipso, quod jam supponatur esse, absurdum non est, à seipsa con-

servari, cum tamen antequam fiat, nullo modo supponatur esse, adeoque efficere seipsam nequeat. Non obstat D. Thomas 1. part. q. 104. art. 2. ad 2. ajens, non posse fieri, ut res aliqua seipsam conserveat; loquitur enim solum de causa principali conservante, quæ videlicet conserveat per modum causæ propriæ ipsius rei, ut ex textu patet. Urgent Sectarij omne producens distinguitur à producto, ut videmus etiam in divinis ubi distinguitur Filius à Patre, Respon. concedendo de producente Principali: negando de instrumentali, quod licet idem sit cum producto materialiter, formaliter tamen per diversas actiones, à quibus dependet, sufficienter adhuc ab eodem distinguitur. In divina productione Filij nulla intervenit nec intervenire potest causa instrumentalis elevara à Principali, ideo nihil inde contra nos. Ad 3. quemadmodum corpus Christi, dum in Eucharistia incipit esse, non de novo producitur, sed conservatur, ita etiam, dum in Sacramento esse definit, non simpliciter corrumpitur, cum alibi existens permaneat, sed solum substantiali conservatione non amplius hic conservatur, amissa substantiali dependentiâ, quam ratione consecrationis acquisivit. Quoad probationem, quod in conversione substantiali Actio esse nequeat adductiva, Bellarminus & alij, qui hanc sententiam tenent, haud difficulter eandem contra Amelium tuerentur, negando, ad Transubstantiationem necessariò requiri, ut per ipsam aliquid substantialiter producatur; etenim esse terminum, in quem fit conversio, non est per illam producti, sed esse rem, cujus adventu & præsentia res alia corrumpatur. Sufficit igitur, ut substantia convertatur in substantiam sive talis substantia producatur de novo, sive non, ut fuse & erudite novissime defendit Joannes de Dicastillo Disp. 4. cit. quem Amelius Gerhardus, Molinæus & cæteri Novopossunt videre & prius addiscere sententias scholasticas, quam eandem ineptè oppugnet.

CONTROVERS. LXXII.

DE SACRÆ COMMUNIONE Eucharistia.

Realem sacrae Eucharistia perceptionem vocamus hic Communionem, de qua celebris valde præsens est controversia, ac nescio, an quoad plebem ulla plausibilior, quæ à centum annis cum exorta Lutheri hæres agitata & innumeris fere Scriptorum catholicorum libris discussa decisaque fuit. Quia tamen Sectarij pro genio suo pertinaci non acquiescunt, sed alia ex alijs contra eam movent, nobis quoque hic omittenda non est visa. Breviter igitur, ac validè illorum errores detegemus & rejiciemus.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Christus Dominus realem Eucharistia perceptionem præcepit Fidelibus